Hi[...] Polonia.
[...]: Adfi-
[...]tola con-
tra fraudulentiam scripti editi
sub tit: Monita privata Soc. Jesu.
Nissae recusa. 1616. +

ILLVSTRIS-SIMI AC EXCELLENTISSIMI DOMINI IOANNIS COMITIS AB OSTROROG, PALATINI POSN: SENATORIS REGNI POLONIÆ PRIMARII.

AD FILIOS ADMONITORIA EPISTOLA.

Contra fraudulentiam scripti editi, sub Titulo

Monita Privata SOCIETATIS JESV.

PRIMO QVIDEM LEOPOLI IVSSV ILLVSTRISSIMI AC REVERENDISSIMI DOMINI, D. IOHANNIS ANDREÆ PROCHNICKI à Prochnik D. G. Archiepisc: Leopolien: Administratoris perpetui Abbatiæ Sieciechovien: &c. &c. edita: nunc verò, magis correcta Nissæ recusa.

Imprimebat AUGUSTINUS GRÜNDER, *Anno M. DC. XVI.*

ILLVSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO DOMINO, D. IOANNI COMITI AB OSTROROG, PALATINO POSNANIensi, Dn. Observandissimo,

IOANNES WIELEVVICKI

SOCIETATIS IESV Collegij Leop. RECTOR *perpetuam Fœlicitatem.*

CVm ante mensem ILLma D. V. ex Aula S. R. M. discedens in Russiam, Leopolim divertisset; Epistolam ad Filios suos scriptam, ILLmo ac Rdmo Leopol. Archiep. communicare voluit. Amicitia nimirũ, eamquè conservans familiaritas, cum eodem ILLmo ANTISTITE, in exteris adhuc nationibus contracta, quàm sanctissimè cultam, nunc auctam voluit; id suadebat: & observantia in S. M. Ecclesiæ præcepta, jubebat, ut scriptum illud, quod opportunè Theologicis doctrinis resperserat, non priùs ad alios, ne ad ipsos quidem Filios mitteret; quàm PASTORI suo, ac in spiritualibus PATRI, censendum & examinandum daret. Censuit is, approbavit, collaudavit, & descriptã Epistolam, forsitan inconsulta ILLma D. V. mihi, ut prælo subderetur, tradidit. Nec ego dubitare potui, Divinæ gloriæ, saluti proximorum, & nostræ SOCIETATI, ad tuendam existima-

tionem, perutilem fore. Tanti enim viri maturum iudicium, & gravis ad Filios, quos ad Dei gloriam, & Reip. bonum, educatos desiderat, admonitio, apud quem, illũ, quem debet, authoritatis locum, non habeat? Et certè ILLma D. V. minimè fallitur, dum de SOCIETATIS nostræ, sincero, in omnib⁹ studijs & actionibus, progressu, ita sentit. Nos vicissim, quod vnum possumus, apud DEVM Opt: Max: precibus id agemus, ut hoc in nos: sed quid in nos? imò in S. Catholicam Fidem, & Ecclesiam, præstitum officium, ILLma D V. amplissima Benedictione, compensatum velit. Mihi verò, ut spero, ab ILLma D. V. venia dabitur, quòd ea inconsulta, ILLmo ac Rdmo ANTISTITI NRõ, in re adeo gravi, ac vtili, morem gesserim. Is enim tantùm, mutuæ amicitiæ, tribuendum putavit, ut sibi etiam licuisse, pro pastorali in suos cura, ac solicitudine existimaverit, ne scriptum publico, animarum, bono, adeo accommodatum, & astutia, ac malignis satanæ, per Monitorem suum, consilijs amoliendis firmiter oppositum; privatis tantùm admonitionibus, terminari pateretur. Dominus ad divinam suam Gloriam, & Ecclesiæ, ac Reip. ornamentum, & auxilium, Illustrissimam D. V. cum tota Familia, diutissimè nobis omnibus, servet incolumem. Datum Leopoli. 23. Octobr. Anno salutis 1615.

IOANNES COMES AB OSTROROG, PALATINUS POSNANIENSIS, NICOLAO Capitaneo Drohovisiensi, & STANISLAO Comitibus ab Ostrorog, Filijs suis charissimis, salutem & Paternam benedictionem.

CVm ad singulos vestrûm, Filij charissimi, hactenus multoties mihi, pro varietate rerum, & temporum, scribere contigerit; nova sese obtulit occasio, quæ me, & ad vtrumq; communem epistolam perscribere impulit, & ita scribere; vt & reliqui Fratres vestri Filij mei, é quibus etiam tertium Ioannem in Societatem studiorum, & peregrinationis vestræ, statim missurus sum, simul vobiscum paterna admonitione, à gravi animarum vestrarum periculo, præmuniantur. Scripseram quondam ad te Nicolaë, natu majorem Filium, puerum tunc in Academia Zamosciana, literis operam dantem, Epistolam; qua, quid Deo, Patriæ, Regi, ac omni virtutum, & religionis ipsius

cultui deberes, luculenter cõmemoravi: neq; dubito, tuis & Fratris secundo geniti, manibus illam teri: & minoribus fratribus, vt idem faciant, te & ducem, & authorem, tam præcepto, quàm exemplo fore. Atq; ita statuo si præcepta ibi contenta, tu tuoq; exemplo minores mei Filij, Fratres tui observaveritis (vti quidem debetis) in Deum, & homines, vos non injustos fore. Sed me vehementer commovit malignum quoddam scriptum, nuper in lucem ab anonymo quodam editum, in Societatem Jesv *directum, sed per illius latus toti Catholicæ rei damnosum, eoq; ducens, vt qui illi cor apposuerit, in summum animæ periculum, sine vlla sit impacturus, dubitatione. Duo sunt, in quibus Ecclesia Christi, ejusq; athletæ desudant: in quibus circa salutem hominum precioso sanguine Christi redemptorum, promovendam enituntur: Fides & opera. Sine fide impossibile placere Deo: sed hæc sine operibus mortua. Non qui dixerit mihi Domine Domine, intrabit in Regnum cœlorum, sed qui fecerit voluntatem patris. Omnes intendit Diabolus vires, vt vel vtrunq; in nobis corrumpat, vel alterutrum. Parum distat infidelitas cum nequitia conjuncta, ad damnationem, à sola infidelitate & à sola nequitia. Et conjuncta hæc ad inferos deducunt, & separata: multitudo peccatorum gravitatem*

tatem pœnarum auget, ſed & paucitas ab inferno non liberat, in quo vel minima damnatio, gravitate pœnæ omnem humanæ rationis captum ſuperat. Et certè neſcio, an nonplus pœnarum mereantur, qui dum fidem bonam vel habent, vel ſaltem profitentur, mala tamen operantur; quàm illi, qui lumine fidei privati, extraq́ Eccleſiam conſtituti, in peccatis volutantur: cum ſervus ſciens voluntatem Domini, & non faciens illam, duplici vapulatione condemnetur. Sed hæc Theologis relinquamus. Quanquam tu mi STANISLAE, *qui ab ipſa pueritia, clericam vitam profeſſus es, etiam in Theologicis præ cæteris fratribus, verſari debebis. Redeo ad propoſitum veſtri præmonendi, ne in lapidem hunc offenſionis noviter ad præcipitationem animarum, eorum, qui fortè incautiùs iter ſalutis perſequuntur, à Diabolo obtruſum impingatis. Etſi omnes S. Matris Eccleſiæ adminiſtri, totus videlicet ſacer ordo, in id à Deo Optimo Maximo vocati, in id à Chriſto Domino, & ejus Vicarijs ac ſucceſſoribus inſtituti ſunt, & ordinantur, vt fidem Chriſti diligenter cuſtodiant, incorruptámque conſervent, infideles ad eam inducant, dilapſos reducant, omnibusq́ in ea conſtitutis, & præcepto, & exemplo authores ſint, vt fidem ſuam, per bona opera, manifeſtam faciant: nihilominus pro diver-*

ſitate

sitate temporum & rerum, varios Ecclesiasticorum ordines divina providentia ordinare consuevit: de quibus, cum multa à multis doctissimis pariter ac sanctissimis viris perscripta sint, ad illos mihi remittendi estis, apud quos per omnes ætates, hoc reperietis, omnibus contra Ecclesiam sanctam novitèr exortis, seu hæresibus, seu schismatibus, semper Deum novos operarios suos opposuisse. Semper deinde Satanam, diversis persequendi modis & artibus, novos athletas Christi, divexâsse. Mihi ad vos de SOCIETATE JESV, *res erit: quam cum Deus istis novis, præterito sæculo exortis hæresibus, immediatè opposuerit, dici satis nequit, quo odio, quibus ex eo profectis, & vexationibus, & persecutionibus, adversarij, eos, stimulante Diabolo, prosecuti non sunt. Notiora sunt, quàm vt scribam. Abundè habetis, à plurimis perscripta. Hoc certè videmus, quod non tantùm ista per Hereticos via, ac tot, & tantis illorum calumniationibus, persecutionibusq́; plurimo sanguine gloriosissimorum Martyrum consperfis, & per infideles (ad quos etiam ex tenebris Idolatriæ, in gremium Ecclesiæ, per doctrinam veræ fidei, inducendos, à sede Apostolica, emissi sunt) continuatis supplicijs, infinitisq́; mactationibus, non tantùm depressa & imminuta, hæc gloriosa* SOCIETAS *non sit, sed &*

sed & in infinitis calumnijs, semper clarior, ac innocentior, in infinitis Martyrijs & mortibus; auctior, ac numerosior, evaserit. Et hoc quidem modo, inimicis salutis nostræ, hanc Christi aciem novam, in Castris Domini, contra exercitus, tam Hæreticorũ, quam infidelium, in statione oppositam, oppugnavit. Sed cùm pietate, eruditione, constantia, ita munitam videret, vt externorum hostium omnes machinas, omnem earum vim, & impetum, auxiliante gratia Dei, semper reprimeret, quod & boni Imperatores, ex arte militari solent, vbi vis retusa est, ad stratagemata se convertit. Insidiatores, in ipsis Castris Christi, quærit, & invenit: ingerit in SOCIETATEM *odium, suggerit calumnias, modos docet, vt quos per tot detractiones, & obtrectationes adversariorum, defœdare non potuit; quos non potuit per tot Martyria, non tantùm tollere, sed nec imminuere; eorum per proprios Catholicæ (vt videri ipsi volunt) Religionis cultores, subruere annitatur. Est genus hominum, inter nostros Catholicos, qui licèt Catholicos se esse profiteantur, fidemq; Catholicam præseferant, nullos tamen fructus, dignos professione sua, faciunt. Illis præcepta S. Matris Ecclesiæ (imò & Dei ipsius) lusus sunt, atq; jocus. Jejunia, Orationes, Eleemosynæ, puritas vitæ, vsus Sacramentorum, frequentatio sacrificio-*

B

crificiorum, Festa & alia, vel omninò non curantur, vel ita neglectim curantur, vti res viliores, quàm quæ vel ad salutem multum conferant, vel ad damnationem neglecta, protrudant. Immò omnia vitia in familiaritatem asciscunt: ebrietates, lascivias, spurcitias, obtrectationes, vanitatum omnia genera: ita vt de die in diem tantum vivant, de Deo, de pietate, de salute animæ, nil cogitantes: vitia vitijs cumulantes, dies noctibus conjungentes, de die noctem, de nocte diem facientes, atque edendo, bibendo, ludendo, Deum ventrem adorantes. Et quod peius est, non fragilitatis humanæ vitio, eò delabuntur; sed habitu ad nequitiam contracto, ad elegantiam vitæ omninò pertinere putant, fornicationes, stupra, adulteria, incestus, omniaque libidinum genera, compotationes, per noctes aleas, omniumque Dei, & Ecclesiæ, præceptorum contemptum. Vtinam verò saltem ita viverent, & peccatorum suorum indefessa exercitatione, se solos inferno involuerent, non etiam scandalo, plurimos corrumperent, irretirent, ac secum implicarent. Et hi in visceribus S. Matris Ecclesiæ comprehensi, Catholicos se vocari volunt: & sunt quidem professione, larvamque Catholicam in facie gerunt, sed mortuam fidem, ab operibus bonis segregatam, habeant necesse est. Digrediendum

mihi

mihi paululum eſt, atq; de gravi ſummorum totius Chriſtianitatis virorum, injuria conquerendum, quod hoc pernicioſum genus hominum, neſcio quo authore, politicorum nobiliſsimo nomine nuncupetur: cum & politiæ nobiliſsimum nomen ſit, adminiſtrationemq; ſummorum Imperiorum, Regnorum, Rerum publicarū denotet, & politici meritò dicantur ſummi Principes, qui regnis ac rebus publicis præſident, ac eorum nobiliſsimi Adminiſtri: adeoq; omnes, qui quoquo modo ad rempublicam pertinent; non hoc genus hominum, quod non magis ſalutem publicam (quod politicorum proprium eſt) curaverit, quàm curat ſuam: vel ſi curare videntur, omnia ſuis commodis metiuntur, nulla juſtitiæ, (cujus Deus Opt: Max: acerrimus vindex eſt) habita ratione: ita vt quicquid illis vtile aut jucundum videtur, id cum omni Dei, & hominum injuria, ſibi licere putent. Sed nos ad noſtra. Obſtare videtur præ cæteris omnibus Eccleſiaſticorum ſodalitatibus iſtis pſeudopoliticis, SOCIETAS JESV; *pungunt illos acres in vitia illorum conciones, de caſibus conſcientiæ diſquiſitiones, diſputationes, exercitia ſpiritualia: omnium verò maximè, ſumma Confeſſariorum in examinandis conſcientijs ſeveritas, & diligentia. Irritantur iſtis omnibus, & vt hæretici ac gentiles, ob fidei plan-*

tationem, vel restitutionem, gravissimè in illos offenduntur, sic non multò minus isti, ob peccatorum in quibus volutantur, acrem reprehensionem. In his generis humani hostis illorum iracundiam, & movet, & exacuit; propter hæc nocendi libidinem inspirat, tela suppeditat: & licèt cum infidelibus gentibus, & hæreticis (vt pote qui catholici videri volunt) eorum circa fidem gravissimos conatus, reprehendere nolint, in mores tamen, & vitam aliquid moliendum existimant. Atq; hoc telum cum hæreticis commune habent. Sed & hic SOCIETATIS *istius vitæ puritate, modestia, eruditione, prudentia, in officijs ad quæ à Deo, & Ecclesia destinati sunt obeundis dexteritate obstante, ad figmenta & calumnias convertere se non abhorrent, vt stimulanti sese Satanæ, in proprijs affectibus, aliquo modo satisfaciant. Infinita talium conatuum, in tot, tantisq; tam hæreticorum, quàm talium pseudopoliticorum libris, in* SOCIETATEM *emissis, habetis exempla. Sed nullum vnquam simile scriptum, majore nequitia, conceptum extitit, quàm quod veterator quidam anonymus, sive hæreticus, sive pseudopoliticus, (licèt ipse & forma libelli, & inscriptione, quam in manu scriptis exemplaribus, diversa ab hac prælo excusa habetur, vbi in Hispania ortum, in Italiam deinde,*

ac de-

ac demum in Poloniam delatum ſcribit, catholicus haberi vult) per modū famoſi libelli, in lucem edidit, atq; monitorum privatorum, Societatis Jesv, ficto eo quidem nomine, mendaciter inſignivit. Non potuit ille, in vita Sanctæ iſtius Societatis ſodalium, quidquam impurum, quidquam injuſtum invenire, quod ipſa veritas non ſtatim refelleret, ſed cum à cœpto, (vrgente Satana, & incredibili nocendi Societati ardore obcœcante, & pruritu inflammante) ruendū illi quoquo modo, ad illam ſubruendam videretur, vnius hypocriſiæ reos agere, apud orbem Chriſtianum conſtituit. Ne verò fides deeſſet cœptis, non alterius alicujus nomine, hæc tanta ſcilicet ſecreta edidit, ſed tanquam ex penetralibus ipſius Societatis deprompta proſtituit. Satis ſuperq; plurimi, qui jam illi ſcriptis reſponderunt, ſola mendaciĳ juſtiſſima objectione illius, huic ante hac inauditæ malitiæ, reſponſum eſſe ſtatuerunt: cùm certum ſit, talia monita, nunquam in Societate viſa, aut audita eſſe, nec palam, (quod & ipſe innuit) nec ſecretò, & inter paucos, quod mendaciter confingit. Neq; ad conficta mendacia, aliter vnquam melius reſponderi aut poteſt, aut debet. Sed me ad vos chariſſimos Filios meos, quos ad Gloriam Dei, ad Sanctæ Matris Eccleſiæ, tum Patriæ noſtræ, ejusq; Sereniſſimi Regis ac

Domini nostri, ac Successorum suæ Majestatis, obsequia genui, & institui, scribentem, sunt quæ hortentur vt nonnihil, nequitiam istius scripti discutiam, ne verisimilitudine falsissimarum rerum, juvenile judicium vestrum, in scandalum aliquod, cum periculo animarum vestrarum impingat. Sed inverso ordine mihi agendum est, & aculeus primo, quem in cauda venenatus scorpio iste gerit, eximendus, quo exempto, totum corpus illius monitorum facilè marcescet. Cum enim mendacia sua, nullam fidem habere posse certò animadverteret, si in disquisitionem aliquam venire, quoquo modo possint, postquam illa pro libidine, & pruritu suo congessisset, tali corollario, loco conclusionis condecoravit.

Hæc privata monita, (inquit) diligenter penes se servent Superiores, & paucis idque grauibus ea Patribus cõmunicent, ex illisque instituant alios, quomodo serviant cum fructu SOCIETATI, neque vt scripta ab altero; sed vt ex peculiari prudentia deprompta, alijs communicent. Quod si, quod absit, in manus externorum, hæc monita veniant, quoniam sinistrè ea interpretabuntur, negentur hoc sensu esse SOCIETATIS per istos cõfirmando è Nostris, de quibus certò scitur, hos talia ignorare.

Opponantur his privatis Monitis Generalia Monita, & Ordinationes impressæ, aut scriptæ, his privatis contrariæ.

Hæc

Hæc tria puncta, Epilogi istius, excutienda nobis sunt; nam quartum, & vltimum, levius est, quàm vt dignum sit, cui manus admoveatur. Quod priùs quàm facio, considerationem quandam, hac in parte, vobis communicandum statui. Philosophorum Principis, Aristotelis Stagyritæ discipulus, & ipse summus Philosophus Theophrastus, inter plurima maximi ingenij, maturi judicij, ac summæ eruditionis monumenta, conscripsit librum characterum, cujus parva pars, injuria temporum, ad nostram ætatem pervenit: in quo ex causis physicis, & physiognomia, omnium internarum inclinationum animæ rationalis, externa signa, in motu corporis, & actionibus descripsit: quales videlicet naturæ ad avaritiã pronæ, externi motus sint: quales gestus, qualia verba, quales actiones, sic de superbia, sic de lascivia, sic de crudelitate, sic de omni genere internarum animæ inclinationum. Et quidem, qui Christiana pietate ista accipiat, & memor humanæ fragilitatis recordetur, nostra quidem ex parte, nos omnia omnium peccatorum, cum peccato originali semina ingenita habere, eáque inclinationes ad malum, & peccatorum ipsorum patrationem, consequi posse: sed ex parte Gratiæ Dei, tot tantáque ad resistendum peccatis, & ad ea, innatis illis malis inclinationibus, remedia

remedia nobis suppetere; non facilè ex characteribus Theophrasti furem, aut raptorem judicabit (hoc enim omnium avarorum est proprium) in quo characteres Theophrasti ad avaritiam, inclinationem monstrabunt: nec statim superbum, aut luxuriosum, aut crudelem, in quem ijdem characteres videbuntur quadrare; sed oculo sinistro characteres Theophrasti respiciens, ad Gratiam Dei, contra tales inclinationes nos armantem, dextro oculo se convertet. Sed, qui levi judicio, & temerè, sola Theophrasti subtilitate delectatus, ex talibus externis characteribus statim, etiam vitij quemlibet arguere non dubitârit, et quicquid ob naturæ depravatam qualitatem, in dispositione ad malum, nobiscum cum peccato originali, natum est, id in habitu, & re ipsa in quolibet inveniri decreverit; is toto terrarum orbe, neminem innocentem inveniat: præter hos, qui sine peccato originali, quod omnes ad omnia peccata inclinationes in nobis consequuntur, ipsas verò isti, quos diximus, characteres consequantur necesse est, nascerentur. Itaq; incauti Theophrasti Lectores, quicquid dicant viri innocui, & qui Gratia Dei suffulti, per virtutem ex illa, manantem, omnes inclinationes malas etiam per tentationes diaboli, acriùs intensas, vicerint, illi eos nihilominus omnium scelerum, ex annotatio-

notatione externorum characterum condemnant. Ex quo fundamento, existimo istum bonum veteratorem, spem sibi Iesuitas in confictis calumnijs, quasi characteribus, tum maximè sine refutatione, & purgandi sese facultate, Hypocriseos condemnaturum, si hos vltimos tres characteres, in epilogo suo positos, imprimere mentibus lectorum posset; Iesuitas scilicet, in quos ficta monita conscribens, tot mendacia, tanquam characteres hypocriseos, congeßit, parata habere, hæc tria, quæ opponant cuilibet, illis hæc monita obijcienti, vt cùm ad aliquod horum, bona fide, ad purgationem suam deveniant, semper habeat veterator, quod dicat, scilicet: *An non videtis illos, hos cavillos ijsdem monitis adscripsisse?* atque ita suis figmentis authoritatem astruat, illorum verißimis refutationibus demat. Sed non cavillos esse mox sciet veterator. Commentemur in ista suæ conclusionis tria puncta. Ad primum igitur, vbi dicit, vt hæc monita diligenter serventur &c. ita commentamur. Per hoc punctum, hoc ingestum infixumq; vult veterator, animis lectorum, hæc monita valdè secreta esse, cautißimè asservari, non nisi paucißimis communicari, vt pote quæ tota ad fallendum, & per fallaciam rem faciendam, sint accommodata, imò vt nec isti noviter conscij ea in scripto esse olfaciant, quibus

hæc per Superiores communicata sunt, neque ex præmeditata aliqua deliberatione totius secretioris consilij SOCIETATIS *deprompta; sed ex tempore & peculiari eorum, à quibus hæc accipiunt, prudentia profecta. Ad secundum, vbi dicit. Quod si, absit, in manus &c. Jam putavit miser veterator per primum conclusionis suæ punctum satis consultum esse, ne omnino fides negationi figmenti istius habeatur, si negent vel omnes ex Societate separati, talia monita in Societate, haberi & asservari, vt pote qui omnes negaturos, inter eos annumerandos convicisse se putet, quos ab alijs scilicet deceptos, re vera fingit ignorare: vt licèt vel integra Collegia, vno ore id negent, semper habeat, quod incautis ingerat, esse scilicet alibi istos, qui hæc secreta cognita habent, & alijs modo supradicto ignorantibus communicent: ita vt nisi totius orbis sodales* SOCIETATIS JESV *in vnum locum congregati negent, hæc apud se scripta haberi & servari, fidem negantibus apud deceptos à se simpliciores nullā fore, ac si vel vnus ex omnibus absens sit, vel saltem dicatur, illum vnum illa scire, affirmare poßit. Astutia tali Authore digna. Sed quàm maliciosa, quam vana, & vos licèt juvenes adhuc sitis, facilè videre potestis. Ille miser hoc fundamento, vt putavit, jacto in hoc secundo puncto, vt*

Hypo-

Hypocrisim Iesuitarum mentibus legentium insigat, per quam solam (cùm aliter nequeat) fidem illorum apud orbem terrarum infringere satagit, fingit illos tales esse, vt mendacia non vitanda, sed celanda existiment; & cum aliquid non nisi per negativas (mendaces) diluere necesse est, eos hypocriticè per alios, id facere solere, vt verbi gratia in hoc. Putavit ille jam se effecisse, vt nullo modo credatur, talia monita non esse in rerum natura: Nunc vult hoc Iesuitis inurere, quod cum illis neganda hæc sint (si totius orbis odium incurrere nolint) atq; omninò negando mentiendum, illos mendacium hoc dividere, in mendacium secretum, & apertum: & secretò quidem mentiri illos, qui hæc monita asservant, & alijs (voce tamen, non scripto, & quasi non ex arcano eorum consilio; sed ex peculiari prudentia deprompta) communicant, ad apertum verò mendacium eos deputari, qui revera talia monita nusquam esse existimant, & licèt sint, & in secreto asserventur, cùm tamen id ab illis ignoretur, sine peccato scilicet, etiam cum juramentis, & execrationibus negare possint, & non peccare. Nil verò illos Superiores curare, quod saltem ipsi per alios ignorantes mentiantur: atque ita non curare offensam Dei, omnia videntis, modò hominum oculos, & notitiam effugiant, quod hypocritarum est. Atq;

ita putat miser veterator, vt per primum punctum, negationi fidem se prorsus sustulisse, sic per hoc secundum, Iesuitas hypocriseos se convicisse. In tertio. Opponantur &c. vnica veritatis arma ipsam scilicet veritatem, ne ejus mendaciјs opponi possit elevat. Et cum in tenebris falsas merces suas, mendaciј & tenebrarum pater, incautis lectoribus, obtrudere nitatur, diligenter cavet, ne fenestra lucis divinæ ad detegendam falsitatem suam, ad detegendam animarum decipulam, aperiatur: vt videlicet cum insimulata SOCIETAS publicas leges, & constituta sua in lucem edita, ab Ecclesia confirmata, omnibus sodalibus ad sanctè & regulatè vivendum, inculcata, protulerit, & confictis istis mendaciјs opposuerit; id ex secreto isto scilicet consilio, facere dum existimetur, fidem non habeat, talibus & non aliјs se legibus vivere: diu scilicet conclusum esse, vt si fortè in lucem ista secreta monita erumpant, ad illa eludenda ista publica opponantur. Et quid aliud faciendum esset; Ista quidem omnia quæ scripsit veterator, conficta sunt, neq; vnquam talia esse vel fuisse probabit: è contrario, quæ dicit suis mendaciјs opponenda, vera sunt, authore spiritu sancto suggesta, à sancta Matre Ecclesia approbata, tot seculis palam in luce, atq; oculis totius orbis terrarum, observata. Et quæ

malitia

malitia talibus detrahere? Quæ stultitia operibus Dei, contravenire velle? væ vobis hypocritæ, dicit Dominus: et nullum peccatum ipse, dum in terris versaretur, majori zelo est prosecutus. At, quale væ isti tam hypocriticæ, vt arguit iste quisquis est, Societati? *quam Deus ornavit, tanta multitudine præstantissimorum in vinea sua Operariorum; tanta latitudine, in quibus vineam Domini, vel plantant, vel purgant, orbis terrarum regionum; tot gloriosissimis martyrijs. Nisi fortè anonymus noster, væ istud in laborum magnitudine, & martyriorum atrocitate consistere putet, per quæ sempiterna vitæ æternæ gloria acquiritur, & cum pseudopoliticis, summum bonum, in voluptatibus hujus fallacis mundi, ad inferos detrudentibus, constituat.*

Hoc aculeo, ex cauda virulenti istius scorpionis, exempto, detecta, videlicet, istius fictorum monitorum epilogi fraude, ipsa omnia monita, non à Iesuitis, vt iste anonymus, fortassis fore spem habuit; sed à sancta Matre Ecclesia, omnibusq; Deum timentibus Catholicis, falsitatis condemnantur. Vos charissimi Filij, ea, vt omnes falsitates, si fortè in ea incidere contigerit, abominemini. Et vt à fallacia nova fraude contexta, vobis cavetote, non figmentum tantùm falsissimum, sed & perniciosissimum est. | Hoc

enim per hoc instrumentum suum agit Diabolus, vt sodalibus Societatis*, tanquam hypocritis, in odium adductis: ab eorum salutari conversatione, homines avertat: ne conciones in vitia, & peccata directæ ab illis audiantur, ne scholæ illorum, quæ pietatis officina sunt, frequententur (quæ tot doctos, & sanctos in vinea Domini Operarios, ad destruenda opera Diaboli emittunt, magno Diaboli, ac irrecompensabili damno) ne ad confeßiones peccatores ad illos accedant, ne pseudopoliticorum scilicet numerus, per prudentiam, & soliditatem Confessariorum, imminuatur: sed potiùs vt ipsi pseudopolitici faciunt, vel nunquam, vel raró confiteantur, & præterea talem Confessarium adhibeant, qui potius illis, sine molestia, qualiter taliter confitentibus, aures præbeat; quàm exaggeratione peccatorum (quæ illi etjam confitentes deserere in animo non habent) & examine conscientiæ molestus fiat: deniq; ne si multi ad puritatem vitæ christianæ, bona opera, Dei, & Ecclesiæ præceptorum observantiam, devotionem operâ* Societatis Jesv*, ex castris peccantium, transirent, pseudopolitici ad paucitatem redacti, evidentiùs in oculis hominum, cum suis peccatis prostarent, qui nunc multitudine sui similium, se putant tectiores. Insuper dum librum hunc lego, relego, voluo,*

revoluo,

revoluo, etiam si non ficta omnia essent, vt sunt; nil tamen quod meritò crimini, per se, dari posit, invenio. Quid in primo monito damnandum? etiam si tale datum re vera fuisset, nisi quòd anonymus id quod bono fine benevolentiæ captandæ gratia ab omnibus, qui ratione reguntur, fieri deberet; à Iesuitis lucri causa fieri, calumniatur: quod etiam nobis, non tantùm illis negantibus, statim evanescit. In secundo malignior est, in politica illos consilia, & Principum adulationes inducens. Sed & in hoc plurima licita, vel per se, vel ad majora scandala evitanda, omnia verò, quæ probari ab ipso, non possunt. In tertio ridiculus nugator est, vel id solùm vanitatem hominis arguit, quòd cùm de egenis dominis monitum instituerit, eorum operas ad talia applicet, quæ vel divitibus gravia, & onerosa, esse possent. In quarto vt in secundo fuit, iterum malignior est: nulla tamen sunt, quæ non licitè tantùm; sed decenter etjam fieri possent, etiamsi verè monita essent. Reliqua & non constant sibi, & nullo modo probari possunt. In quinto, in solam invidiam implicare vult SOCIETATEM, *apud reliquos Regulares, & licitam æmulationem, in invidiam trahens, illicitam supplantationem innuit, additis malitiæ suæ flosculis. In aliquot sequentibus vbi de viduis, et earum liberis agit,*

mirè

mirè ſe torquet, omnia miſcens, fingens, traducens: ſed ſi rem ſpectemus, ad caſtitatem, Eleemoſynam, devotionem perſuadendam, hoc monitum pertineret. Quod an non & ipſe Divus Paulus monuit? vnum malitiæ anonymi floſculum, ſtultitia olentem, paululum odoremur, quando SOCIETATEM *canino dente mordere volens, ſcribit: ad viduarum ſenſualitatem accommodata, multa fieri debere, cautè tamen & ſecluſo ſcandalo. Itáne ſuo pede omnes metitur anonymus? dum* SOCIETATEM *ita vt ipſe facit, (ſi modo & hoc facit) vitam inſtituere exiſtimat, vt non tam peccata vitent, quàm ſcandala. Malitia eſt arguere innocentes: ſtultitia putare hoc non animadverſum iri, viros pios, qui caverent, ne quid cum ſcandalo fiat (quod quidem ipſe in hoc monito ſcribit) non multò magis cauturos ne fiat cum peccato, ex quo ſcandala originem trahunt: opinatur ille, pro ſuo modulo, ſcandala tantùm, quæ in oculos hominum incurrunt, ab illis vitari, non multò magis peccata, quæ oculos Dei, non effugiunt, & ſcandalorum vnica ſunt cauſa. Vtinam verò ſi peccata non vult, ſaltem ſcandala vitaret, ipſe anonymus. Vana ſunt alia plurima, falſa omnia, quibus examinandis, ineptum ſit tempus terere, & ſufficiat mihi, vos Filios meos vanitatum, malitiæ, falſitatis iſtius admonitos à me*

eſſe:

esse : vt cognita veneni istius qualitate, tuti ab eo existatis. Perstringam tamen vestri causa, breviter cætera. In nono monito, non animadvertit anonymus nil contineri, quod non ad Eleemosynam pertineat, & non Societatem Jesv se perstringere, sed Jesvm ipsum Christum, toties talia intonantem, vbi parare jubet amicos ex mammona iniquitatis, vt recipiant nos in tabernacula sua, vbi jubet vendere omnia, & sequi se, vbi jubet thesaurizare thesauros, quos tinea non consumit: & quid aliud in hoc monito traducit? Jesvm traducit, non Iesuitas. Reliqua monita de dimissis ex Societate omitto, contra quæ optimè ratiocinatur admodum Reverendus Pater Ioannes Argentus Provinciarum Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Lituaniæ, non ita pridem Visitator in Epistola sua, cujus inscriptio est, ad Sigismvndvm III. Poloniæ & Sueciæ Regem potentissimum & Magnum Lituaniæ Ducem &c. Epistola &c. Cracoviæ, hoc ipso anno, impressa. Quibus monitis de dimissis, intersertum est monitum, de juventute asciscenda, & fovenda: quasi verò, non omne genus mortalium, nō tantum hæc Societas Sodales sibi exoptet excellentissimos, & maximè ad finem, quem propositum ratione vocationis suæ habet, idoneos; quasi etiā non universalis sit omnium ratione vtentium, consuetudo,

ſuetudo, quos ad ſe allexerint, benevolè & humaniter tractare. Nodum in ſcirpo quærit miſer anonymus: & cum Zoilo, omnia mordere ſtatuit, nil, modò id præſtare poßit, erubeſcens; ſed in omnibus falſus, & ridiculus. Quandoquidem, & in altero monito, de Monialibus, ridiculè agit; quaſi verò non liceat, quaſvis Eleemoſynas accipere, dum modo ad Gloriã Dei, & proximorum ſalutem convertantur; quod per SOCIETATEM JESV præſtatur fideliſsimè. Penultimum monitum, quid niſi gratitudinem in benè meritos continet? quam traducit merita malè formando, & malitiosè deſcribendo; ſed gratitudinem jubet, quam & Deus jubet; ſed mercenarios dignos mercede infert, quod & Dei præceptum eſt. Vltimum monitum, & impudens eſt, & ſibi non conſtans, ipſumq; ſine oppugnatore corruit. Habetis meam de hoc pernicioſo ſcripto ſententiam, ſed & ipſi per vos licèt Iuvenes, ſi ejus & materiam & formam conſideraveritis, ineptum, rude, indoctum, non modò viris doctis, & plurimis, ſed vno bono Grammatico, non tantùm Theologo indignum, judicabitis. Tot eruditiſsimi viri, qui orbem terrarum, innumerabilibus ſcriptis, exornârunt, tam ineptè ſcriberent? tot martyrijs glorificata SOCIETAS, tam impiè ſuos Sodales ad hypocriſim inſtitueret? abſit hoc homini Catholico,

etiam

etiam cogitare: vnus aliquis, vel pauci malitiosi, magis quàm docti, & sapientes confinxerunt, hunc stultum, & vanissimum libellum, & quidem famosum libellum, licèt is, vt manu scripta exemplaria habent, in Hispania, vbi omnia sobriè aguntur, ortum suum haberet. Quem dum imprimunt, vt seipsos melius prodant; adjungunt testimonia falsa, Italorum, & Hispanorum, explosa, & refutata. Nam quod de nostris Cardinalibus Radzivilo, & Maciejowio, impresserunt; ea falsa esse, etiam mihi constat. Vt & ea quæ Miscovio, Episcopo Cracoviensi, affinguntur; maximè verò quæ consanguineo nostro Solicovio, viro sanctissimo, Archiepiscopo Leopoliensi, quocum Ego familiarissimè, annos plurimos vixi, viro Societatis Jesv amantissimo, qui primus eos, Leopolim induxit, & ad mortem vsque fovit: & quo conscio, Ego cum Matre tua, Nicolaë Fili, ad Collegij erectionem futuram, primùm omnium, Sortium Matris tuæ, fœminæ lectissimæ Catharinæ Mieleciæ, in villis Podusilnæ & Baczow fundationem feci. Sanguis mihi, & vita cum optimo illo Archiepiscopo communis erat, quomodo celâsset, cum consanguineo dilecto, & amico confidentissimo, hanc suam de Societate, quam isti fingunt sententiam, vel tunc saltem, cum

illi aperirem, me illis ad futuri Collegij fundationem, aliquid conferre velle? qua ſimulatione vir ſanctus, eos Leopolim ad Cathedram ſuam induceret, de quibus tam malè ſentiret? Abhorrete à mendacijs talibus chariſſimi Filij, ſed & tales pſeudopoliticos, qui talia, vt & reliqua vitæ ſuæ vitia, non coram Deo, nec coram hominibus erubeſcunt, diligenter cavete. Habetis paulo antè, in hac ipſa Epiſtola deſcriptos, faciles cognitu ſunt, ex fructibus eorum cognoſcetis eos, noſcite illos, & cavetote, vt non veſtri modò, ſed generis humani perniciem. Societatem Jesv, vt fideles Dei operarios, & ejus contra Eccleſiæ, ſeculi noſtri, hoſtes, emiſſarios & propugnatores colite, & diligite. Ego ipſe, cùm ex hæreſi, ad ſanctæ Matris Eccleſiæ gremium, redirem in manibus Reverendi Patris bonæ memoriæ Chriſtophori Varſavitij Societatis Jesv Theologi, ſarcinam peccatorum, vnà cum hæreſi depoſui: ego cum graviſſimis, pariter, & mea quidem opinione, ſanctiſſimis viris, Petro Scarga Concionatore Aulico, & Ioanne Conario nuper defunctis, conſtantiſſimam amicitiam colui, per illos plurimùm conſcientiæ, & ſaluti meæ conſulens: Et nunc multos in Societate iſta amiciſſimos habeo, quos dum vivunt, non nominabo. Ante annos verò tredecim, cum illo graviſſimo morbo, vel

morbo-

morborum potiùs quadam colluvie, (quod & tu jam, Nicolaë Fili, recordari potes) jam jam moriturus viderer, Medicos Leopoli, ad curationem ægri corporis, evocando, eodem curru Patrem Ioannem Ponetium, qui animæ meæ saluti consuleret, advehi jussi, in illiusque manibus, animam Deo Creatori meo, offerre, illumq́; salutis meæ custodem habere, volui. Nec existimate, me abhorrentia aliqua à Societate *inductum, vos Filiôs meos, extra Collegia illorum, in re literaria instituisse, sed veras causas, quæ tres sunt, habetote. Prima: quòd cùm* Societatis *finis sit, & institutum, circa salutem animarum versari, ad id præcipuè juventutem instituere, necesse habent, quod ad tales operas, quam maximè conducat. Formandi illis sunt maximè Theologi, inculcandæ virtutes Theologicæ, præ cæteris omnibus: ad perfectam vitam introducendi, in eaq́; exercendi futuri Christi athletæ, cum mundo, & Diabolo, quondam pro salute animarum, & S. Matre Ecclesia decertaturi: nec tantùm verbo, & opere; sed & profusione sanguinis, quod illis familiare est, pro Gloria Dei, & salute animarum enixuri. Et non tantùm ita formandi sunt, vt ipsi ad talia idonei existant, sed etiam ita, vt alios erudire, & docere possint. Quæ omnia, etsi ad professionem omnium, certè nobilissimam, vt pote*

quæ cœlos aperiat, pertinentia, maximi ſunt facienda: non tamen vel ipſius Dei ordinatione, omnes ea ſequi debent; relinquenda magna pars eſt, qui aliam vocationem à Deo Opt. Max. impoſitam habentes, in ea perſiſtant, ad eamq; ſe præparent. Qui inſtrumenta ferrea fabricantur, non ſolum chalybem, præſtantiſſimum ferri genus, ad ea aſſumant neceſſe eſt; ſed & lentioris ferri, longè maximam partem, adjungere coguntur. Chalybs excellentia, & duritie ſua, quævis duriſſima (modò penetrabilia ſint) penetrat: chalybs aciem præ omnibus metallis alijs, ſubtiliorem, ac proinde penetrabiliorem, accipere poteſt; illi ſive punctim, ſive cæſim, pervia omnia: illi ſcalpendo cedunt, quæcunque ſcalpi poſſunt: ſed hic ipſe chalybs, eadem duricie ſua inflexibilis, ac quovis flexu violentiore accedente, fragiliſſimus eſt. Huic prudentia boni artificis, lentioris ferri, flexibilisq;, addit longè majorem quantitatem, quod illam chalybis aciem, ad penetrandum protrudat, & fragilitatem ejus ſua lentitudine, ita temperet, vt illa ſuffulta, nullis flexionibus, facilè rumpi poſſit: Ita vt neque chalybs, cum ſuo acumine, & duritie magno vſui eſſe poſſit, à lento ferro ſeparatus; neque lentum ferrum, ob molliciem ſuam, & flexibilitatem, multùm ad vſum absque chalybe

chalybe omnia penetrante, faceret, conjunctaq; ea tantùm sint vsibus apta. Sic in divina orbis terrarum administratione, ita Sapientia Dei ordinavit, vt salus generis humani & Gloria Dei, qui solus operum ejus finis est, maximè per Sacerdotium ab ipso ordinatum, promoveatur: sed id, vt subsistere possit, longè majore politicorum numero, tanquam lentiore ferro, illud subfulcire voluit, ita vt & in populo suo, vna tribu Iuda ad Sacerdotium destinata, vndecim reliquas, statui politico seculari, reliquerit. Itaque vt apud SOCIETATEM JESV, omnia ad formationem præstantissimorum Theologorum præcipuè fiunt; ita politicis futuris, ad vocationis suæ præsidia, aliunde supplementa quærenda sunt. Vt vobis charissimi Filij, qui in nobilissimo ac libero Regno, omnino ad res gerendas nati estis, Politica exercenda est; vobis in Patriæ officijs præstandis desudandum; vobis Serenissimis Regibus vestris inserviendum. Nam & tu, mi Clerice, multò plus etiam Ecclesiæ, in Regno hoc (in quo clerus secularis, non modò ad Rempub. pertinet; sed post Regem in ea primum locum tenet) proderis, in Reipub. negotijs, & obsequijs Regum Dominorum tuorum versatus, quàm in cuculla, vel Religiosa aliqua vita, propriam salutem quærens, vel proximorum Theologicis tantùm

tantùm, non etiam politicis rationibus procurans. Eoq; magis, quòd ad illam Theologicam, Ecclesiæ Dei inserviendi rationem, omnibus quocunq; loco natis, aditus patet, tantumq; in illa excellere potest sutoris filius, quantùm Regis: ad hanc verò, in hoc Regno politicam cleri secularis eminentiam, (in qua spirituales constituti, cum summa authoritate Deo, & Ecclesiæ sanctæ, vtiles esse possunt) non nisi nobili loco nati, admittantur; quos si etiam Prosapiæ splendore, & Majorum imaginibus illustres, ad talem vitæ statum se convertere contingat; pro multis Theologorum gregibus Gloriæ Dei, & sanctæ Matris Ecclesiæ Majestati, vtiles esse possunt; magnoq; damno fiat, si tales, dum spiritualem vitam sibi eligunt, sese in privata claustra regularium condant, & non inter secularem clerum, in Republica versaturi, prodeant. Hinc, Ego vos Filij charissimi, ad politicam vitam, & quondam Rempublicam tractandam, formaturus, in Scholis SOCIETATIS, *occupare nolui: quæ, ex vi vocationis illorum, ad perfectionem Theologicam, omnia dirigere, necesse habent. Verum quidem est, quod, vt omnes scientiæ sibi conjunctæ sunt; ita & artium istæ præparationes, quæ ad illas introducunt, vt plurimùm communes existunt, vt Grammatices, Dialecticæ, Rhetoricæ cognitio: neque*

absurdè

absurdè etiam ij, qui ad alias facultates animum habeant, in Collegijs Societatis *multa sibi utilia, ediscere possunt, unde etiam Collegia* Societatis *frequentissima existere, videmus: sed tamen, cùm & hæc ipsa eruditionis primordia, non ita omnino diversis scientijs, & professionibus futuris, uno eodemque modo, sint accommodata, ut non ad singulas aliter dirigenda, & accommodanda sint: Ego vos etiam in his, statim à principio institutionis, ita ut futuros politicos, & Reipublicæ administros, Regumque officiarios, & Consultores, practicos magis, quàm theoricos, curavi erudiri. Altera causa est, quod non de Collegijs tantùm* Societatis, *sed de omnibus Academijs, & Universitatibus, & quoquo nomine vocatis, erudiendæ juventutis officinis dicere necesse est, aliter se habere ordinationem illarum, non posse, quàm ut ita studia instituta sint, quæ etiam tenuissima ingenia non obruant: si enim vel ad mediocrium ingeniorum captum, ut excellentiora omittamus, studia proponerentur; nullis hebetioribus ingenijs erudiendis locus esset. Itaque ut apud aurigas etiam duodecim equis, onustos currus devehentes, licet undecim sint ad gradum velociorem habiles, non tamen currus velociorem cursum tenet, quàm cui duodecimus equus, qui reliquis tardior est,*

satisfa-

satisfacere poßit: sic & in scholis tardiorum ingeniorum necessariò ratio habenda est, cum jactura temporis præstantiorum. Quod vt evitarem, pro captu ingeniorum vestrorum, & in his, quæ ad finem propositum vitæ politicæ facerent, vos erudiendos potiùs, quàm Collegijs implicandos existimavi. Et hîc de tertia causa dicendum est: quæ tota in temporis jactura, non quoad eruditionem tantùm, sed & ad theoriticam scientiam in praxim, & actionem quàm primùm deducendam, consistit. Ars longa, vita brevis, ait ille, sed nemini brevior, quàm his, qui ad Patriæ, Reiq; publicæ obsequia sese accingunt: qui primùm cùm ad ea, quæ ex liberalibus disciplinis acceperint, plurima vsu, & experientia, addere necesse habeant, maturè, ac in juventute, manum operi opus est admovere; deinde cum & laborum, & sumptuum, & periculorum, quæ omnia pro Republica rebus gerendis sese offerunt, & fortiter perferenda sunt, præmia, à Principibus quondam, & Rebuspublicis expectanda sint; ac in his multa sint, quæ meritorum, non solùm multitudinem, & pondus; verùm & in illis longam perseverantiam constantiamq; requirant; arripiendum à juventute tempus est, neq; multi anni in solis libris, & Theorica consumendi, sed curandum, vt

quàm

quàm primùm nos ad Rempub. & res gerendas conferamus. Relinquenda igitur ijs, qui alios fines studiorum habent, trivialium artium, & aliarum nonnullarum scientiarum, quæ ad politicam non faciunt, exquisita cognitio, quæ in omnibus instituendæ juventutis officinis, plurimum temporis arripit; in quibus non peculiaris futurorum politicorum, sed vniversalis omnium, ad quarumcunq; facultatum, & scientiarum cognitionem tendentium, vel saltem vnius præter politicam, cujuscunque ratio habetur. Præterea vbiq; in publicis istis theatris, in tantum omnia traduntur, & inculcantur; in quantum, non tantùm docto viro, sed Doctori aliorum futuro, satis sint, cui exquisitè artes istæ cognoscendæ sunt, quas olim sit alios docturus. Tempus talibus multum in addiscendis artibus, reliquum autem ætatis, in ijsdem alijs tradendis, consumendum, pulveribusq; Scholasticis immoriendum est. Ita vt pro fælicitate habeatur, si quis circa annum paulò minus trigesimum, cursum studiorum consummaverit. Noster verò politicus non debet in his immorari, qui ijs artibus, non plus opus habet, quàm vt congruè, & efficaciter sermone maximè Latino vti possit: ad quod post jacta qualiacumq; fundamenta, experientia sola praxisq; perpetua, bonorum Authorum

lectio, styli exercitatio, abundè sufficit; quod mille experientiæ, & exempla in viris gloriosissimis, & excellentissimis ostenderunt. In alijs autem scientijs, quæ ad politicam vel parum, vel nihil faciunt, prorsus tempus, noster politicus, non consumat, illudq; ad ea summa celeritate perdiscenda, convertat, quæ ad res gerendas, & Rempub. tractandam, illi futura sunt necessaria. Et non primus Ego istius sententiæ author sum; plurimi idem senserunt; sed vt omittam alios, habetis in illo fragmento Epistolæ, quod & vobis, & Præceptoribus vestris dedi, illustrissimi simul, atque fortissimi, sapientissimi, prudentissimi, sed & doctissimi, ac ad admirationem vsque eruditissimi viri, IOANNIS ZAMOSCII gloriosæ memoriæ, Regni hujus Poloniæ Magni Cancellarij, & exercituum generalis Capitanei, de institutione nobilis adolescentis, ad Rempub. educandi judicium. Segregat ille omnia, illi addiscenda, ab ijs, quibus vir politicus potest nullo suo damno carere. Et videte quod judicet ille à mediocri trivialium cognitione (quas & ipsas per compendia docere jubet) intra quatuor annos, politicum omnia ad professionem suam necessaria ediscere posse; ita vt ante vigesimum ætatis annum, ad Rempub. accedere, Deo, Patriæ, Regibus, amicis, vtilis esse possit; ac non pulue-

pulveres Scholasticos terendo, sed agendo, & exercendo se, reliquum eorum, quorum tanta, quæ ibi sunt, descripta fundamenta, jecit, per se acquirere reliquo vitæ curriculo, inter res gerendas possit. Sed scribendo fessus sum. Habetis causas cur vos per semitas, & compendia, expeditiori itinere, ad finem propositum ducam, sed id non omnibus licet, magnorum sumptuum & sedulitatis res est, nec omnibus expedit, nec enim omnes ad Politicam exercendam ordinavit Deus, Vos omnes Universitates, Academias, Collegia, magni facitote, viros doctos amate & colite. Sed iterum quoniam temporis non perdendi, tanta incidit mentio, extra materiam (uti Patri cum Filijs) excurrendum mihi est. Si in artibus exquisitè discendis perdendum non est, si multa in nobilissimis scientijs, ne ad magis necessarias tempus depereat, omittenda; quid putatis, an non multò magis cavendum, ne in vanitatibus depereat, ut juventus, parum cauta, facere solet, quæ in exteras regiones studiorum gratia profecta, tempus in saltationibus, manualibus musicis, alijsq; nugis, vel (quod etiam pejus est) vitiosis conversationibus terit, cum offensa Dei, damno Familiarum irrecuperabili, & Reipublicæ propriæ forsitan majori, quæ dum ex illis quondam, Cives sibi utiles, expectabat, ganeones

effœminatos, ad labores pro se suscipiendos ineptos, tardosq; cum gravi suo onere, & ad fælicem statum impedimento, perferat. Cavete, ne senectutem meam tali mœrore crucietis, néve canos meos ad inferos deducatis. Exercitia corporis ea tantum addiscite, quæ rei militari inserviant, reliquas nugas contemnite, & hominibus vanis relinquite. Sed quàm longè abripuit me ab istis fictis monitis SOCIETATIS JESV, *hæc de ratione studiorum vestrorum, ratiocinatio. Feci hoc, ne quis, dum me tam acriter pro* SOCIETATE JESV *contendere viderit, & vos meos Filios, extra illorum Collegia institutos esse sciat, me quoq; hypocriseos condemnet, & ne vel vos ipsi, quos ad cultum* SOCIETATIS *hujus, & observantiam duco, admiremini, cur, cùm ego tanti illos faciam, vos tamen extra illorum Collegia erudiam? Sed concludamus de monitis. Cavete Filij charissimi, ne è monitis istis, si fortè in illa incideritis, veneni quid hauriatis. Falsa sunt, vana sunt, turpia sunt: quæ mendacia illa, ac ficta testimonia illis annexa turpiora faciunt, quæ à me supra refutata sunt. Pasquillus verò in fine, sub nomine prosæ in Iesuitarum scilicet laudem confictæ, omnis sceleris convincit. Talia talibus digna. Quæso legite in illa Patris Argenti Epistola, quæ de famosis libellis*

collegit,

collegit, omnium ætatum gravißima judicia: immò vellem vt in citatis ab illo libris ipsis, ea loca legeretis, ne vos non tantùm talis libido, per famosos libellos, famam alienam lacerandi, aliquando abriperet (quod vt rem sceleratam, vestra vobis non permittet Nobilitas) sed etiam, vt ab aliјs, tales turpes scripturas editas, vnà cum ipsis infamibus lucifugis, abominemini, cùm legetis tales sceleratos veteratores, in hoc mundo supplicijs, in altero gehennæ, profano, & sacro jure, destinari. Alia nunc defessus non scribo, pòst scribam. Valete Deum timentes, & literis gnaviter operam dantes. Datæ Leopoli 24. Septembris, Anno Domini 1615.

Typographus Lectori S.

DVm hanc Illuſtriſsimi, ac Excellentiſsimi Domini Palatini Epiſtolam ſub prælo habeo, & ad illum locum, vbi de priori Epiſtola ad majorem natu Filium, Zamoſciam quondam ſcripta, mentio fit, pervenio; ecce nonnulli copiam ejus mihi facturos ſe pollicentur & præſtant. habe itaq; benevole Lector vtramq;, maximè cum Illuſtriſsimus Dominus in hac ſcribens ad illam, nonnulla referat. Vale.

IOAN-

IOANNES COMES AB OSTROROG, CASTELLANVS POSNANIENSIS, NICOLAO FILIO, salutem & Paternam benedictionem.

ACcepi Epistolam tuam, eamq́ primam, Nicolaë Filì, & quidem mihi non ingratam; tum quòd à te Filio scripta sit; tum quòd ea scribenda, quid in literis Latinis, & liberalibus studijs profeceris, mihi testatum facere volueris. Quorum causa, cum in almam Zamoscienſem Academiā, à me missus, non exili sumptu (ne erres) sustenteris, & in dies majori sustentandus sis: ac præter ipsam eorum excellentiam, qua nos Deo, proximis, Patriæ, Regibus, ac publicis rebus, amicis, nobis ipsis, ac toti prorsus generi humano, vtiliores reddunt, viventibus vivendi commoditates præstant, morituros ad salutis æternæ majorem spem erigunt, mortuis in gloria vitæ æternæ fulgorem afferunt, in mundanis verò post se relictis, famæ perennitatem asserunt: præter hanc, inquam, liberalium studiorum excellentiam, cum & alias causas, quæ te, ad eorum amorem impellant, non mediocriter, habeas plurimas, incumbendum tibi est sedulò, ne quid in te, non tractandis so-

lùm (quod plurimi vel inviti faciunt) ſed vehementer amandis literis, (quod verè hominis eſt) deſiderari patiaris. Cauſas amandi, quas dixi plurimas eſſe, quæres? en tibi aliquas. Si naturam tuam ſpectes, homo es, rationabile animal es, tui pars præſtantiſsima, animus eſt; cætera cum brutis communia. Si corpus, ſi illi neceſſaria, ſi ejus commoditates, ſi ipſæ denique voluptates, ita nobis curæ ſunt, vt ſunt, in dies, & momenta; quid ſtultius, quàm corpori miſero, tandem morituro, vermium eſcæ putidiſsimæ, ac tàndem luto pulverique futuro, fovendo, totos ſe dare? animum verò divinæ particulam auræ, ſolam illam Dei, ad quam creati ſumus, imaginem, cœleſtium quondam concivem futurum, cujus immortalitas, & miſerum hoc, quod tantopere (ſed communi cum brutis affectu) amamus, & curamus corpus, ad ſe aliquando ex pulvere eſt raptura, negligere? quid inquam ſtultius? At hic ipſe animus liberalibus diſciplinis nutritur, perpolitur, ſtudijs fovetur, ſi amandus ille eſt, vt tui pars præſtantiſſima, amanda & hæc: his negligendis, & ille negligitur. At quid ſtultius? Sed vide amplius: nec ipſe negligi vult, imò nec ſe negligere patitur. Agit ſemper: annota: Et licet puer es, rem non difficilem impero, annota inquam. Nónne ſemper aliquid cogitas?

gitas?

gitas? nonne semper imaginaris? & nonne & dormiens somnias? somnias enim semper, licèt non omnium, quæ per somnium sese obtulerint, recorderis. At istæ sunt omnes, animi, & ipsius animæ rationalis, actiones. Nunquam otiatur ille: negligi non se patitur, tu cures tantùm, ne vanis, & ociosis implicetur: hoc in tua potestate est. Atqui ad hoc liberalia studia (ad quorum amorem te adhortor) ducunt, ad hoc viri docti viam monstrant. & ipsi præeunt, ad hoc scholæ institutæ sunt, quæ (præter præfatas commoditates) sociorum, & condiscipulorum copia, cursum literarum, non faciliorem tantùm, sed & suaviorem, imò suavissimum reddunt. Et ludendo discitur. Suavis est literarum cursus, qui quondam ad tanta, taliáque, quæ antè diximus, perducit. Itaq; natura, quæ sui amans est, seipsam ad sua commoda ducit, ad excellentiam trahit, sibique vt plurimùm, ipsa magistra est. Sed, vt hac in parte non sit, vide in alia. An cum bruta donec adolescant, quod vnum possunt, Parentes sequantur, puero tibi non turpe fuerit, vtique homini, præcepta paterna contemnere? En præceptum, vt literas non tractes solùm, sed ames etiam. Hocne contemnere? Et non contempturum te quidem, jam hac tua Epistola es professus: in posterum tua te astringet nobilitas, vt quod

 professus

professus es, præstes constanter & fideliter. Sed & justitiæ id debes. Ego tuus Pater, cui quòd es, post Deum, debes, qui te mortua matre solus enutrivi, qui educavi, qui summa solicitudine, & cura diligenti, quicquid & Christianitatis intererat, ipsemet te institui, ac primos ingressus in viam salutis, ipsemet demonstravi, & quàm primũ per ætatem licuit, ludendo, vti puerilis ætatula tua requirere videbatur, in arenam literariam, inscium & lubentem, benignissimè introduxi: fovi deinde, promovi, ac vsque huc, hac in parte, nil in me, passus sum desiderari. Quod & agnoscis tu, dum non Patrem tantùm me, sed & Benefactorem appellas. Ego inquam, tuus, & talis Pater, & tuus iste, quem dicis Benefactor, te ad hæc studia, quæ tam laudabilia, tam vtilia, tam jucunda sunt, ad quæ ipsa natura & incitat, & ducit, ad quæ non facilis tantùm aditus est, sed & decursus suavis, in quo ipse labor plurimus (si modò labor) delectat plurimùm: ad hæc, inquam, non tractanda solùm, sed amanda etiam, Ego te hortor, Ego moneo, Ego omnes commoditates suppedito. Injustus sis, si pro omnibus meis beneficijs, quod vnum potes, non rependeris, vt mihi obedias. Et qua in re obedias? in ea, quæ tibi, quàm mihi, fuerit vtilior. Mihi certè, hac mea, de te, solicitudine, pauca quæruntur,

runtur, magna ea quidem, sed & ea ipsa, vel tecum communia, vel & tibi talia. Apud Deum aliquid, te benè educando cupio promereri? sed & tu, meis auspicijs benè educatus, faciliùs promereberis. Famam Patriæ primùm, deinde Gentis nostræ in te insigniter instituto, ac Cive benè formato, augere satago? at hoc tibi mecum commune est, & tua quidem pars potior: plus est gloriæ, insignis si quis ipse est, quàm si insignem Filium habeat. Reliqua, quæ ex liberalibus studijs promanant commoda, tibi sunt propria. Mihi jam & ætas grandiuscula imminet, sed morbosa valetudine, diversis difficultatibus attrito, cum infortunijs diversis colluctato, vita longior vix est speranda: quam quandocunque Deus, & hujus, & melioris vitæ dator, mihi abruperit, vt in te vivam omnibus virtutibus prædito, erga Deum Creatorem tuum pio, Religionis Catholicæ cultore constantissimo, in Patriam Cive amantissimo, Legum patriarum observantissimo, erga Regem, ac Dominum tuum, subdito fidelissimo, ab omnibus tumultibus, turbis, mutationibus, ac ipsis turbatoribus, alienissimo, pacis & tranquillitatis publicæ tuendæ, ferventissimo, cum Amicis amicitiæ tenacissimo, inimicis inimico reconciliabili, omnium denique virtutum, Gentis & Majorum tuorum, memore Filio, id

vnicè & vivens, & moriens opto. Ego quidem viam hanc virtutis, à Majoribus nostris traditam, fide bona præivi: fortuna, si laboribus & studijs meis, non satis respondisse visa fuerit, quid egerim, non quibus successibus, considerabis. Luctam mihi Deus optimus Maximus cum omnibus difficultatibus & adversitatibus, domi forisque destinaverat: odia, inimicitias, supplantationes, damna varia, & ingentia, quæ tamen omnia summa vti colluctatione; sic & constantia, ita sustinui, vt si (quod vnum supererat) valetudinem integram mihi reliquam fecisset, superaturus etiam viderer, ac ne nunc quidem, licèt in dies afflictiori sim, succumbam. Certè quantùm quantum hujus miseræ vitæ superest, ne vlli meo officio desim curabo: & vt tibi moriens vel illud occinam: Virtutem ex me disce, verúmque laborem, fortunam ex alijs. Sed quorsum hæc? & ad puerum Filium. Primum est, ne te eò impellere videar, quod ipse declinaverim, Alterum, si ea de qua dixi, mea morbositas, me citiùs absumpserit, quàm vt tibi ad maturiorem ætatem provecto, paterna institutione præcepta dare possim, quàm, si secutus fueris (vt certè teneris) vtriusque vitæ fœlicitatem, facilius es consequuturus. Reliquum est, vt tibi ad alteram Epistolæ tuæ partem respondeam, in qua de tuis rebus

Baco-

Bacovium mihi relaturum scribis: Retulit is, & quidem pauca quædam necessaria, vsu attrita vel consumpta, tibi deesse video. Tamen pro mea in te benignitate, non ea tantùm mitto; sed & alia etiam, ad ornatum tibi futura. Sed & hîc admonendus iterum es: & cum videris ista, tam pulchra, tam elaborata, & certè preciosa, quæ tibi à me mittuntur; imagineris tibi, equum pulchrum ac præstantem, & asinum rudem ac ignavum: imagineris phaleras insignes, auro gemmisquè distinctas, operis exquisitis elaboratas, atque cogita: si phaleras istas equo generoso convenientes, asino quis imponeret, an non risum omnibus concitaret? an non pro stulto, & stolido condemnaretur? certè condemnaretur. Cave igitur ne quis, & me stultitiæ condemnet, si ea quæ tibi mitto ornamenta, indigno missa viderentur. Non corpus hoc tuum, quod tibi commune est, etiam cum brutis, exorno; sed quemadmodum in equis pulchritudinem (quæ plerunque genus, in hoc animali consequitur) & generositatem, ac eorum, vt ita dicam, virtutem admiramur, talésque phaleris insignibus, dignos judicamus; sic Ego his ornamentis tibi mittendis, ornandum duxi primò genus ac Nobilitatem tuam, quam in hac Patria nostra (absit invidia dicto) certè nulli secundam habes.

Et hac

Et hac quidem in parte, nemo te asini, nemo me stultitiæ condemnaverit, qui præter Gentis nostræ, cum omnibus antiquissimis, parem in hoc Regno antiquitatem, sciverit te Matre Mielecia natum, Aviam alteram Teczyniam, alteram Radzivilam, habuisse: at Deus bone, quales quantásque non Natalibus tantùm, sed virtutibus (iisque supra sexum heroicis) fœminas! multos etiam nunc habes, qui noverant & admirabantur: qui sciuerit præterea te per Proavias ac Abavias Koscielecios, Lascos, Szydlovecios, Kolas, Kucinios, Odrovosios, Polubinscios, (& magna sunt hæc in Patria hac nostra fueruntque nomina) inter cognationes & agnationes, & ipsos ac eorum Familias, & infinitum ferè præcipuæ Nobilitatis Regni hujus per varias, & istarum familiarum, & propriæ Gentis nostræ, Fœminis elocandis, acquisitas Affinitates, connexum numerum numerare: imò & per Ducissam Ratiboriensem (quæ Abavia tua fuit) ipsum Poloniæ Regum ac Principum, ipsiusq; Piasti sanguinem ingenitum habere. At hoc vnum tantum est, vt & in equo eleganti, plus spei est: sic & de te (quod alterum est) spem habeo à Majorum virtute non te degeneraturum. Et ideo te vt in omnibus ingenuè educo; ità & his ornamentis politiorem reddere volo. Sed cave, ne hic in asinum desinas, eòq; rudiorem,

diorem, & fuste digniorem, si nobilissimo sanguine cretus, summa diligentia à Patre educatus, in amplissimum liberalium studiorum & virtutum instituendarum, Emporium missus, in viam virtutis & vestigijs Majorum tritam, & optimarum disciplinarum institutis septam, introductus; in fœdissimum vitiorum barathrum te demittas: Quod quantò magis cavere volueris, (debes autem quàm maximè) tantò alacriùs diligentiúsque literis incumbe, atque invigila: quarum studia, quid possint? quid efficiant? remitto te, ad Marcū Tullium Ciceronem pro Archia Poëta perorantem, vt tibi, non philosophando tantùm persuadere velle videar, vel te authoritate Paterna premere, sed vide apud Authorem gravissimū venerandæ antiquitatis de literis & earum studijs judicium. Et tale omnium sapientum, omnibus ætatibus, & in omnibus orbis terrarum partibus fuit. Vale. Nostri Domestici, te salutant omnes. Vale iterum. Komarnæ. 3. Decembr. Anno 1606.

EPISTOLA EIVSDEM ILLVSTRISSIMI DOMINI PALATINI, AD REVERENDVM PATREM SIMONEM SOCIETATIS IESV.

ADMODVM REVERENDE PATER SIMON, amice carissime.

QUandoquidem Epistolam istam, quam ego filiorum meorum priuatim monendorum causa scripseram, visum fuit superioribus publicam facere, est quod me male habeat, eam negligentia typographi adeò esse depravatè impressam. Illius quidem inertiæ, maleq; sobriæ circa artem suam id curæ imputabitur. Sed si ita in manus hominum non correcta ex Collegio Leopoliensi erumperet, ne Reverentiæ Vestræ quidem excusabiles viderentur, si paterentur tam turpiter depravatam scripturam in typographia sua impressam inter homines vagari. Tot docti viri ferent, in notam negligentiæ nescio cujus incurrere? Ego licet satis habuerim me ad filios scripsisse, tamen cùm mihi R^tia. V^ra. ab admodum Reverendo Patre Rectore impressam hanc epistolam, vnà cum dedicatoria sua attulit, ferre non potui, quin statim corrigerem, neq; vllum exemplar ab vllo hominum incorrectum videri passus sum. Manu scriptum exemplum Episto-

Epistolæ hujus nullum mihi est: quod manu mea scripsi, dudum filiis transmisi. Sed tamen quomodo hos typographi errores correxerim, mitto exemplar Rtiæ. Tæ. calamo in istis exemplaribus impressis correctum, vt & ego in istis, quæ mihi attulit, feci, corrigi ista errata possunt, supervacanea intrusa exscalpi vel expungi, omissa inscribi, non adeò magnus labor est. Voluissem, vt hoc scriptum meum in solis filiorum meorum, ad quos scriptum est, penetralibus delitesceret; sed postquam visum est illud publicum facere, rogo, ne incorrectum in lucem prodeat. Valeat Rtia. Ta. & me suis commendet. Drobovisio 13. Novembr. 1615.

Rtiæ. Tæ. amantissimus

JOANNES COMES *ab Ostrorog*
Palatinus Posnaniensis.

EPISTOLA REVERENDI PATRIS ANDREAE KANSKI, AD ILLVSTRISSIMVM DOMINVM PALATINVM POSNANIENSEM.

ILLVSTRISSIME ET EXCELLENTISSIME Domine Domine Colendissime.

PAX CHRISTI.

Duo sunt, quæ Epistolam Illustrissimæ Excellentiæ Vræ. tot mendis ac erroribus fecerunt scatere. Incuria typographi, & vnius è nostris festina, & nimium fortasse attenta, sed præceps diligentia, qui & inertis typographi molestiam ferre amplius non potuit, & exemplo sibi tradito, magis quàm par erat, adhæsit. Ita enim factum est, vt dum in verba minùs correcti exempli jurasset, tot menda dissimulando dispungere neglexisset. Labor hic (dolendum) quòd cæteros latuerit, & vnius curæ traditus fuerit; mundiore enim ex castigatione censura lucē aspexisset. Ita rem secretam R. Pater Rector haberi voluit, vt vno vix conscio typis mandaret. Sed vbi è prælo emersit, & in lucem nostrorum venit, mox castigata, dispuncta, mundior quàm in prælo nata, in manus aliorum transmissa est, idemq́ etiam nunc est labor in cæteris exemplaribus corrigendis. Spero brevi restituendam suæ dignitati & splendori, meliori in Germa-

Germania typographorum opera, & puriorem olim inſerendam Noſtræ Societatis Annalibus, ad æternam Illuſtriſsimæ Excellentiæ Vræ. memoriam alendam, & ſingularem erga Societatem amorem deprædicandum. Id laboris Illuſtriſsima Excellentia Vra. præmium habitura eſt, dum authoritate Illuſtriſsimæ Excellentiæ Vræ. ſe defenſam Societas teſtabitur, & ob id Illuſtriſsimæ Excellentiæ Vræ. gratias immortales, & Illuſtriſsimæ Oſtrorogorum Genti ſummum deberi amorem, & nova apud Deum vota & ſupplicationes, ſuam illa poſteritatem admonebit. Deum precor vt Illuſtriſsimam Excellentiam Vram. nobis diu ſalvam & florentem conſervet. Leopoli die 15. Novembr. 1615. Reverendus P. Rector noſter necdum redijt. Pater SIMON, *vt primum ab Illuſtriſsima Excellentia Vra. venit, febri decubuit, vt ideò me qui ſum loco R. P. Rectoris relictus, Illuſtriſsimæ Excellentiæ V. reſcribere oportuerit.*

Illuſtriſsimæ & Excellentiſsimæ D.V.

Humilis in Chriſto ſervus.

ANDREAS KANSKI.

EPISTOLA EIVSDEM ILLVSTRISSIMI DOMINI PALATINI, PATRIS, AD COMITEM STANISLAVM FILIVM, CLERICVM.

CHARISSIME FILI.

ALijs de rebus ad Comitem Nicolaum fratrem majorem ſcribo: ad te de illa Epiſtola, quam nuper admonendi veſtri gratia ad vtrumq́; veſtrum miſi. Ex præfatione Patris Rectoris Collegij Leopolienſis Societatis I ESV, *quid factum ſit, intelligetis (mitto enim aliquot exemplaria) ſed adeò mendosè typographus illorum hanc epiſtolam, vel duas potius excudit, vt in brevi ſcripto triginta quatuor menda repererim, cum mihi expreſſa exemplaria neſcio quot cum deprecatione miſiſſet. Primò, non admodum mihi placet, meas ad vos familiariter ſcriptas epiſtolas prælo ſubdi. Deinde, cùm jam ita placuiſſet, optaſſem ſaltem ita imprimi, vt à me ſcriptæ ſunt: licet homine nil minus quàm ſcriptore: qui vitam agendo, non ſcribendo conſumpſerim, & in ea ſtatione à Deo & Rege in hac Repub. ſim conſtitutus, vt calami exercitia, omninò ad vocationẽ meam non pertineant. Nullum mihi exemplum fuit, præter id, quod ad vos manu mea ſcriptum miſi, vnde non ſine magna*

molestia

molestia hoc mendosum exemplar corrigere potui, quod cùm illo autographo meo conferetis, ipsi facilè animadvertetis. Et id mihi vehementer displicet, quod iste Pater Kanski *scribit, illos has epistolas correxisse, optassem à nemine alio quàm à me (quandoquidem jam in lucem proruperunt) correctas fuisse: & præstiti operam, licet in maximis & gravißimis negocijs, pro consuetudine vocationis meæ occupatus, vt colligetis ex exemplo epistolæ meæ ad Patrem* Simonem, *qui mihi à Patre Rectore hæc exemplaria attulerat, quæ vobis mitto, ad quam hic Pater* Kanski *per hanc suam respondet. Scribo ad illum rogando, vt statim impressam correcturam meam propriam, mittant ad eos, ad quos illa exemplaria ab alijs correcta transmiserunt, nevé patiantur, vllibi alia correctura prælo subdi, præter eam quam illis transmisi, & quam in istis exemplaribus impreßis videbitis. Gratulari debes, mi fili, vti juvenis clericus ex Gente nostra, armisq; Naleciorum in majori Polonia præcipua dignitatis loca occupasse, cùm nunc gentilis noster Nalencius ad Archiepiscopatum Gneznensem evectus sit, qui licet totius Regni Primas, & primus Princeps est, tamen majoris Poloniæ Senator est, & in Clero majoris Poloniæ primus. Quemadmodũ jam ante ego inter Senatores majoris*

Poloniæ

Poloniæ seculares primum locum tenui, vti & Illustrißimus Dominus Palatinus Lecicienſis Capitaneatum Generalem majoris Poloniæ. Ita vt nunc omnes tres, qui Spirituali, Senatorio, & Equeſtri ſtatui in majori Polonia præimus, Nalencij gentiles ſimus. Securus ſis, te majore etiam benevolentia modernum Illuſtrißimum Dominum Primatem complexurum eſſe, quàm nuper defunctum, lic[illegible]is maxima ſit proſecutus. Sed vale jam, & [illegible]ris gnaviter operam nava. Drobovisio. 14. Novembr. 1615.

Tui amantißimus Pater

JOANNES COMES *ab Oſtrorog*
Palatinus Poſnanienſis.

FINIS.